

157-113


DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
METHODI EXPECTANTIS
ADUMBRATIONEM BREVEM.

QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI
PRO GRADU
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HARALDUS FRIDER. POELCHAU,
RIGENSIS,



Symb. „In his angustiis is medici officio
probe fungitur, qui, cum prodesse
nequit, saltem non nocet.“

STOLL.

.....

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXVIII.

~~55-809~~

I m p r i m a t u r,
ea tamen conditione, ut, simulac typis exeusa fuerit
haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui li-
brorum censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonorum d. iv. Decembr. MDCCCXXXVIII.

Dr. S a h m e n.
Decanus.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO

T. F. E. SAHMEN,

MED. DOCT. A CONSIL. AUL., THERAPIAE ET CLINICAE
PROFESSORI PUB. ORD.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SUMMA AD CINIBRES USQUE PIETATE COLENDO,



453556

NEC NON

FRATRI CARISSIMO

PETRO AUG. POELCHAU,

MIGAR AD AEDES ST. PETRI, ST. IOANNIS ET AD
CATHEDRALEM PASTORI ADIUNCTO, SOCIETAT.

LETTICAR. LITTERAR. SODALI,

**HOC PRIMUM LITERARUM
SPECIMEN**

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

P r a e f a t i o .

Cum mirum fortasse videatur, quod rem difficillimam, quamvis tiro in rebus medicis, eamque in opusculo minimo, tractaverim, pauca, ut me excusem, dicere liceat. — Non inconsulto, sed potius ut in arte, mox mihi exercenda, certior eyaderem, hoc thema elegi, quod cum tractare inciperem, satis temporis ad rem accurate et diligenter exponendam mihi fore arbitratus sum. Neque tamen multo post rebus mutatis, ut ad hanc musarum sedem brevissimo relinquendam me pararem, sum coactus; quare paucis hebdomadibus opus vix inceptum

ad finem mihi erat perducendum. Quae cum ita sint, speraverim, fore ut lectores docti imperfectum meum conatum benigno animo dijudicent, praesertim, cum multi libri hanc rem spectantes mihi defuerint, quod sane incepto meo faustum esse non potuit. — Utinam, quae diximus, permoveant lectores, ut, quamvis opusculum ipsum mancum sit, bonum, quo susceptum est, auctoris consilium aliquatenus saltem agnoscant! —

Cap. I.

Introitus.

Medicis artem exercentibus maximi profecto momenti est quaestio, — utrum in certo quodam morbo remedia artis adhibenda sint, an causis occasionalibus, quae fortasse adhuc valent aliisve rebus nocentibus, quae adsint, remotis morbus propriis organismi viribus tollendus relinqui debeat. Nam cum in singulis fere morborum speciebus argumenta naturae vi medicatrice gaudentis ex observationibus ad hoc usque tempus collectis afferri possint; saepe non solum supervacaneum videatur remediis artificiosis uti, priusquam vim naturae parum esse efficacem nobis omnino persuasum sit, sed saepius etiam perniciosissimum, quod exempla naturae efficacitatis turbatae manifeste probant a). Haec igitur quaestio gravissima profecto tantummodo naturae morbosae observatione, diu et accurate instituta, optime solvi potest, quod etiam viri praeclarissimi, de hac re disserentes, profitentur, quare insolentis esset, si tiro perscrutationem a se perfectum iri speraret, singulas morborum species amplectentem. Neque tamen dubitari potest, quin ex observationibus hucusque factis nonnullae regulae

a) F. J. Gall, Philosoph.-med. Untersuchungen über Natur und Kunst; Wien 1791, Pag. 229.
Fr. Hoffmann: De imprudenti medicat. multor. morb. et mortis causa. Opera omn. Genev. 1769, Tom. VI.

generales derivari possint, secundum quas medicus intelligere queat, num in morbo quodam methodus expectans adhibenda sit, nec ne; quam rem paucis explicare conabor.

Methodus autem expectans, cura expectativa, cura indirecta (Hufeland) opposita curae directe agenti, ea medendi ratio appellatur, ubi medicus, rationibus ab arte accessitis permotus, nullam morbo efficacem medicinam opponit, sed eum salubribus naturae viribus sanandum relinquit, tantummodo quidquid naturae efficaciam turbare possit, arcendo studens. Itaque sententia nostra de methodo expectante ad temerariam quandam desidiam non spectat, fortasse inde exortam, quod medicus haesitet, quia vel scientia rudis, aut arte imperitus sit; haec potius medici vitii adnumeranda, dum illa non tantum pathologiae cognitionem accuratam, sed diligentem etiam observationem requirit, quare ad artem medicam eam pertinere cum aliis censemus. Hoc adnotandum esse putavi, quoniam methodus expectans in sensu posteriore accepta interdum erroribus et cavillationibus ansam praebuit.

Cap. II.

Methodi expectantis historiae brevis adumbratio.

Quamdiu ex observationibus experientisque collectis nondum regulae generales medendi me-

thodum in universum spectantes derivatae erant, etiam methodus expectans arte nixa esse non potuit, et si morbi naturae viribus relictis sunt, hoc modo factum est, quoniam eos vel deorum poenam habuerunt, vel parum satis noverant, vel ad eos curandos, quamvis cognitos, nondum remedia efficacia repererant. Sicut igitur Hippocrates demum medicinam in universum redegit in artem, imprimis etiam therapiam generalem, idem primus quoque methodum expectantem adhibuit. Omnis, qua utebatur, medendi methodus accuratissima morborum observatione nixa est; ubi naturam in iis satis efficacem invenit, solum accurata praecepta diaetetica usurpavit, ut ejus virtutem adjuvaret et omnia nocentia depelleret; ubi vero jam initio aberrationes ab observato normali decursu aut excessus virium vitalium occurrerunt, decursum normalem potius restituere, quam morbum ipsum impugnare studebat (nisi forte, ut in vitiis chirurgicis, causa ultro appareret atque ejusmodi esset, ut natura eam amovere non posset). Quo consilio saepissime initio morborum sanguinis missionibus et remediis evacuantibus usus est; si vero naturae vires parum valere ipsi videbantur, eas potionibus nutrientibus vinoque mixtis sustentabat. Remedia evacuantia tum etiam adhibuit, cum crises non sua sponte evenerunt; semper tamen minister potius, quam dominus naturae esse et totam medendi rationem, tam quoad diaetam quam quoad therapiam, aetati, constitutioni, vivendi modo, consuetudini, anni tempori et tempestatis conditioni quam accuratissime accommodare conabatur. Quatenus vero Hippocrates, fortasse methodum expectantem nimis saepe ad-

hibuerit, viris peritioribus dijudicandum relinquens, tantummodo scripta ejus, quae ad hanc rem omnium maximi momenti esse videntur, afferam. Quamvis enim in pluribus operibus illi adscriptis loci huc referendi laudari possint, tamen Epidemicor Lib. I et III, Aphorismi et Libri de arte et de diaeta in acutis plurima argumenta hujus rei continere videntur. Jam ex Hippocratis pathologia conjiciendum erat illum non raro methodo exspectante esse usum. Cum enim ab illo *ἐνορμῶν*, medicatrix naturae vis proponeretur, illi etiam certos fines concedere debuit, intra quos artis auxilium non esset opus; quare in historia therapiæ generalis in universum ab iis potissimum viris hanc methodum adhibitam videmus, qui illi doctrinae favebant et accuratis observationibus nitabantur.

Itaque apud Dogmaticos, qui paulo post Hippocratem prodierunt, pauca tantummodo methodi nostrae vestigia invenimus et quamquam priores eorum non tam longe ab Hippocratis medendi methodo recedebant, atque accuratas ejus observationes permiscere tantum studebant hypothesis arbitrariis, haec tamen, praecipue in doctrina de humoribus elementaribus sensim ita praevaluerunt, ut etiam curatio morborum, secundum haec praeccepta instituta, vis naturae illata haberi possit. Jam diaeteticæ maxime mutata, et multis medicamentis novis inventis, frequentior quoque latiorque horum usus factus est; cujus rei argumenta reperiuntur in spurii operibus Hippocratis, diversis auctoribus adscriptis b), (nisi

b) Sprengel, Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneikunde, Thl. I., Halle 1821.

forte quaedam eorum ante eum jam composita sint) imprimis in Libris: de morbis; de internis affectionibus et de locis in homine.

Etsi Empirici errores sectae modo nominatae vitare studuerunt, tamen, quoniam neque aegrotorum peculiaris discrimina et diversam morborum naturam satis accurate respiciebant, neque ex observationibus institutis regulas, medendi rationem in universum spectantes, proponere audebant, medicamentorum usus non admodum tutus apud eos esse potuit. Non multo post jam Methodici exstituerunt, qui quidem diligentissime diaeteticam in curandis morbis adhibere et saepissime remediis mitissimis in morbos agere studebant, attamen tribus medendi methodis temere propositis inducebantur, ut morbos omnino diversos una eademque ratione curarent, quod praesertim de circulis metasyncriticis, contra omnia vitia pertinacissima neque ceteris methodis cedia c) usurpatis, dicendum est. Et illi igitur temerariae opinioni, stricti nimirum et laxi, magis, quam accuratae naturae observationi fisi sunt.

Quantum ad artem medicam Hippocratis perfectiorem reddendam et ad diaeteticam in curationibus adhibendam Celsus valuerit, omnibus notum est, et pluribus locis in scriptis suis manifeste dicit d), non semper ad morbos curandos medi-

c) P. G. Werlhof, Diss. De medicina sectae methodicæ vet., Helmstad. 1723, Sectio III.

d) Lib. III. Cap. 4. Praefat. ad Lib. V, Lib. II, Cap. 12.

caementis opus esse; sed eos interdum naturae viribus sanandos committi posse.

Electicorum praesertim Aretaeus dignus est, cujus mentionem faciamus, cum ex ejus accuratis morborum descriptionibus appareat, eum non modo tractationem pro morbi gravitate diligentissime temperare, sed etiam nonnunquam expectando agere calluisse, quod nominatim de cura phthisis, passionis coeliacae et cholerae dicendum est. e).

His similia etiam apud Galenum f) reperiuntur, etsi generales methodi expectantis regulas non constituit, quam ab eo adhibitam esse tamen verisimile est, cum Hippocratis doctrinam de naturae vi medicatrice et de crisis accepit et in nonnullis scriptis etiam magis explanaverit et perfecit. Studium ejus, cum praesertim theoriam amplecteretur, magis minusve eum a mera observatione detraxisse necesse est. Ita etiam saeculis sequentibus, cum ceterum scholastica hujus magni viri praecepta plurimi haberentur et cum, ut scriptor recentioris aevi dicit g), in universum minus

e) Morbor. chron. Lib. I, Cap. 6, Lib. II, 7. Acutorum Lib. II, Cap. 4.

f) Placebit quidem ab initio medicamentum, sed insanabile efficiet, quod reliquum est dispositionis. Meth. medend. XIV. Non ferunt naturae frequentes mutationes, servandae in hac re sunt necessariae intermissiones pharmacorum. Ars. Med.

g) Hecker, Archiv der allg. Heilkunde, Bd. II, Pag. 48.

bona quam mala ex Galeni scriptis sibi imitanda sumerent seriores, etiam illa doctrina mox obruta est oblivione.

Omissis igitur temporibus istis, arti nostrae salubri minime prosperis, quibus ab Arabibus et monachis tractabatur, qui duntaxat priora praecepta et opiniones componebant vel novas hypotheses addebant, e saeculo decimo tertio solum Bernhardum de Gordonio laudo, qui in Tractatu de decem ingeniis curandor. morbor. nostram quoque rem attingit. Gravior mihi hac ratione videtur Sebastianus Papparella, qui non solum doctrinam de naturae vi medicatrice denno tractavit, sed eos quoque casus, in quibus medico medicamentis esset agendum, accuratius constituere tentabat h). Eodem modo Gerardus Blasius indicationes generales de methodo expectante proposuit.

Paracelsi ejusque assectatorum systema jure praetermitti posse arbitror, nam etsi praecepta hypothetica Galeni impugnabat, tamen medicamenta large adhibuit, praesertim cum chemicam optime calleret, quod, ut remedia metallica usurparet, maxime eum impulit. Quo respectu acer ejus adversarius existit Van Helmont, qui in Archaeo doctrinam de vi vitali proponens, partem quandam in sanandis morbis illi concessit, quare imprimis remediis diaeteticis usus, venaesectionis et remediorum evacuantium abusum deminuere studuit.

h) De indicationib. curativis liber, Tractat I et IV.

Omnino aliae, quamquam ex hac disciplina exortae Sylsii opiniones de morborum natura fuerunt, quos omnes produci tantummodo arbitratur interna chemica humorum mutatione, qui aut acidae aut alcalinae indolis essent, quare etiam semper artis remediis opus esset, ut ad normalem sanitatis conditionem reducerentur. Diversae igitur sic dictae humorum pathologiae et gastricismi species, ex hoc systemate exortae, methodi expectantis usui prodesse non potuerunt.

Majoris vero momenti fuit Sydenhamus, qui praeceptis theoreticis sui temporis repudiatis, potius naturae effectus in morbis accuratissime observans, praecipue monuit, febres, quippe quibus naturae vis medicatrix ageret, non reprimendas sed mitigandas tantum esse, et quamvis antiphlogistica methodo utendi occasio saepissime ipsi oblata est, optime tamen intellexit, ubinam medicus expectando procedere posset, quod multi loci in ipsius scriptis testantur i).

Similes sententias Baglivius k) aequalis ejus clarissimus, profert. \

Saeculo duodevicesimo imprimis G. E. Stahlus doctrinam de naturae vi medicatrice practice adhibere conatus est, opinionesque hac de re explanavit in multis scriptorum suorum, quorum potissimum huc referendae sunt ejus dissertationes: „de autocratia naturae, de multitudine remedior.

i) Opera medica, Genev. 1757, Tom. I, Pag. 19. ibid. 140, 158.

k) Opera omnia, Lugd. 1733, Lib. II, §. 4, 5, 7.

abusu, de abstinence medica“ et tractatus ejus inscriptus: „Silenum Alcibiadis seu ars sanandi cum expectatione, opposita art. sanandi nada expect. Harvei, Paris. 1730.“ quorum operum duo priora tantum mihi ad manus fuisse maxime doleo.

Fr. Hoffmannus quoque nonnullos casus affert, ubi medicus morbum sanandum naturae omnino relinquere possit, regulis vero de hac methodo nullis exhibitis; saepissime autem monet, ne medicamentis abutatur, additis exemplis, ubi naturae efficacia turbata, magna provocaverit incommoda l).

Ex hoc inde tempore magna copia tractatum singularium dissertationumque iuangularium de methodo expectante in lucem prodit, quos hic praetermitti posse puto, cum mihi defuerint et in libro: „Literatura medica digesta“ ce. Plouquetii, atque in opere inscripto: „Dictionnaire des sciences medicales s. v. expectante“ enumerati sint.

Qui cel. Brownii disciplinam consideraverit, illam adhibendae methodo expectanti omnino repugnasse, facile intelliget; nam quo minus ab organismo per se morbos devinci posse existimatur, eo magis medicus remediis agere debet; praecipue si opinioni simul favetur, duo tantum esse omnis adversae valetudinis genera, incitationem scilicet adhauctam et imminutam, quae solum incitamenti aut deminuti aut auctis tol-

l) Opera omnia, Genev. 1771, Tom. VI, Pag. 260, 261, 271.

lipossint. Quantum hæc theoria, singulorum morborum causa in athenia et asthenia posita, incitamentorum abusum effecerit, magis notum est, quam ut fusius exponendum sit. Eodem modo hæc systema medicamentorum maxime compositorum usui favit, quibus nimis sæpe adhibitis, accurata normalis morborum decursus observatio præclusa est.

Sub finem sæculi præteriti, J. C. W. Junker m), secundum medentium naturæ virium conditionem et gradum medici actionem in medicamentorum usu statuere, eosque casus proponere studuit, ubi viribus illis sufficientibus, artis auxilium supervacaneum appareret. — Non ita multo post, disciplina de inflammatione sæpius et cum prædilectione quadam tractata, efficacissimus methodi antiphlogisticae usus medicis quibusdam nimium fere placuit, ita ut ea vel ibi uterentur, ubi illam aut non necessariam, aut etiam perniciosissimam esse, ex observationibus serioribus patet. Hoc imprimis etiam de typho contagioso valere crediderim in cuius natura recte perspicienda et felici tractatione Marcus præclarissimus, tum propter opinionem præjudicatam, cum fortasse propter curationem nimis activam, tranquillioribus observatoribus, ut Valentino de Hildenbrandt, longe inferiorem sese exhibuisse videri potest.

Doctrina, quam cel. Hahnemannius superperri-
mis protulit temporibus, secundum sententias, quæ

m) Versuch einer allg. Heilkunde, Tbl. II, Halle
1791.

adhuc in arte medica valuerunt, maxima ex parte methodus expectans habenda sit, cum curationes hæc medendi ratione feliciter peractæ ex parte certe accuratissimis hujus doctrinae præceptis diaeteticis adscribendæ sint. Cum tamen hujus disciplinae auctor naturæ vim medicatricem omnino neget, atque in ipsa minima medicamentorum dosi maximam ponit efficientiam; pro ejus sententia hæc medendi methodum nullo modo nihil agentem sive expectantem ducendam esse putaverim. Methodi autem homoeopathicae cognitio expectantis usui aliquantum certe prodesse videtur, quippe quæ postulet, ut medicamentis cautissime utamur et diaeteticam diligenter ad morbos sanandos adhibeamus. — Commemorandum etiam mihi videtur, recentiore systematis Browniani quodam germine a Brüssais edito effectum esse, ut præter frequentissimum methodi antiphlogisticae usum, non raro etiam in nonnullis morbis præter solitum remediis nullis vel tantummodo mucilaginis et involventibus adhibitis, methodus usurparetur expectans. Minus vero in methodi expectantis commodum mutata apparet Brownii theoria incitationis in systemate a Rasorio divulgato. Hic quoque duæ tantummodo inveniuntur aberrationes virium vitalium quantitativæ, quæ proximas omnium morborum causas constituunt et quæ solum adhibitis stimulis et contrastimulis, paene nunquam vero natura tolli possunt. Imprimis mirum est, in nonnullis morbis inflammatoriis stimulos fortiores vel magnas narcoticorum doses atque in univ-
ersum omnia remedia in dosibus solito majoribus dari.

In operibus de therapia generali recentioribus methodus expectans magis minusve perfecte exposita est, in paucis tamen indicationibus generales de ea additae sunt. Praeterea vero ostendunt opera practica clarissimorum flosirae aetatis virorum, — Bischoffii, de Hildenbrandt, Raimannii, Henkii, Pinellii, quam saepe, rebus certo quodam modo se habentibus, propria organismi efficacitate, nullo medicamento pharmaceutico, ne vel lenissimo tantum adhibito, ad morbos sanandos prosperrimo cum eventu uti possimus.

Ubi vero secundum systemata supra perstrata frequentem artis auxilii abusum videmus, semper in causa fuisse videntur opiniones ejusmodi pathologicae, secundum quas arbitrarentur sua sponte morbosum corporis humani statum in sanum mutari non posse. Itaque sive fermentationem vel putredinem, majores inflammationis gradus, sive ubique tantum atheniam et astheniam proximam morborum causam habebant unicam, hi semper ejusmodi esse debebant, ut etiam leviores jam activum artis auxilium postularent, praesertim cum hae opiniones efficerent, ut temporis spatium quo naturae ad statum morbosum in sanum reducendum opus est, non respiceretur. Diversorum autem incommodorum, quae medicaminum abusus gignere potest, hoc profecto non videtur minimum, quod eo normalis morborum decursus saepenumero mutatur, illi ergo recte et perfecte dignosci nequeunt. —

Cap. III.

De methodi expectantis ambitu.

Antequam methodi expectantis ambitum accuratius statuere possumus, comparatio ejus cum activa medici curatione magni momenti nobis esse videtur. Haec autem in eo est positae, quod remediis artificiosis positivis organismum studet eo adducere, ut perfectius restitutionem sanitatis relativae adjuvet: — nam ejusmodi ipsius organismi actio in universum in quovis morbo sanando requiritur, quae, si abest, auxilio locum esse non potest. Hic igitur medicus eum actionis gradum in corpore aegroti arte provocare studet, qui sanitatem certissime restituit, quod, quam saepe necessarium sit, experientia quotidiana docet, ubicunque naturae vires per se aut infirmiores aut vehementiores aut in modo alienatae sunt. Ut autem, ubi res se ita habeant, recte dignoscere possimus, cognitio eorum, quae natura ipsa perficere queat in singulis morborum speciebus, nobis opus est. Ad cognitionem vero ejusmodi omnino perfectam perveniri vix posse videtur, cum etiam in singulis aegrotis singuli morbi diversitates ostendunt singulares. Attamen in nonnullis morbis typicis hodie etiam eadem symptomata essentialia cernimus, quae ab antiquissimis descripta sunt observatoribus, quare in iis de medicis actionis gradu certissime judicari posse oportet. Nihilominus tamen etiam in his morbis pro diversis theoriis diversissimas medendi methodos usurpatae videmus.

Hujus diversitatis causa in eo posita esse videtur, quod partim opinione praepjudicata ducti, morbos observabant medici, partim res revera aliter se habentes invenire debebant, quoniam propria organismi efficacia parum freti, normalem morborum decursum medicamentis temere adhibitis immutabant. Commemorandum hac ratione mihi tantummodo erit, aliquando in variolarum curatione ubique remedia stimulantia adhibita esse, quibus multum profecto aegrotis damnum allatum est, donec clar. Huxhamus etiam hoc morbo, saepissime maligno, laborantes interdum sola natura omnino sanari posse docuit; quod quoque in omnibus caeteris exanthematibus acutis, quamdiu decursu benigno gaudeant, i. e. quamdiu ea febris simplex, inflammatoria, mitioris indolis committetur, fieri nunc compertum habemus. Quis contra negabit, easdem morborum species, ubi febris comitans nervosa vel putrida, vel tantum majori gradu inflammatoria sit, medici auxilium maxime activum requirere? Eodem modo osim febrem intermittentem cortice peruviano usurpato tantummodo certo sanari posse opinati sunt, quo medicamento statim morbi initio, febris indolis et digestionis organorum conditionis nulla habita ratione, adhibito, saepissime incommoda procreabantur maxima, dum nostris temporibus, secundum observationes accuratas, tum tantum hoc remedium usurpatur, cum aut morbus, si simplex et lenis est, post certum paroxysmorum numerum non sua sponte evanuerit — quod saepe fieri solet — aut paroxysmi cum symptomatibus periculosis conjuncti, ergo cito suppressendi sint. Jam

ex exemplis, quibus facile multa addi possent, plane intelligitur, quid significet methodus agens sive directa, quid methodus expectans, et quam temerarium sit sine conditione alteram alteri anteponeere, utramque potius, cum etiam in una eademque morborum specie jam nocere, jam prodesse possit, certas quasdam requirere indicationes.

Non minus nunc etiam inflammationum eas dignoscere possumus, quae medici auxilium maxime activum postulant, dum aliae decursu tantum gaudent, sponteque tam prospere dissolvuntur, ut regimine et dieta consentanea adhibita, earum sanatio naturae committenda sit. His posterioribus adnumerandae sunt non solum multae inflammationes leviores externae, sed internarum quoque imprimis nonnullae membranarum mucosarum, praecipue catarrhus simplex et gonorrhoea benigna. Neque in ceteris tractandis raro tempus existit, ubi magis methodus expectans usurpanda est, tum videlicet, cum inflammatio arte jam eo usque deminuta est, ut jam non exiguum infelicem habere, ergo naturae viribus plane finienda relinqui possit. Certe hic remedium efficacium usus tam diu esse videtur supervacaneus, quamdiu non requiritur propter peculiare complicationes aut rationes quasdam in certis quibusdam aegroti conditionibus positas.

Etiam febres, in quibus vires vitales modice tantum deminutae sint, solo naturae auxilio feliciter solvi posse observationibus non paucis probari potest. Idem valet de multis febribus, quarum symptomata essentialia morbotis secretionum mutationibus constant, quibus perturbationibus,

Imprimis si in digestionis organis apparebant, usum remedium evacuantium aut fortiter solventium indicari nimis generaliter quondam acceptum fuit. Observatio tranquillior contra ostendit, linguam obductam, diversas morbosas saporis commutationes etc., saepissime tantummodo febris effectus in digestionis organa habendos esse et simul cum ea evanescere, nisi forte tam graves evaserint, ut vim noxiam rursus in morbum exerceant, febrisque solutionem impediant. Non magis probatum est, ad sanandas febres rheumaticas vel catarrhales ubique aut apparatu antiphlogistico, aut remediis evacuantibus aut sudorificis esse utendum. Studium morborum febrilium, quovis morbi stadio remediis positivis adhibitis, quasi vi tollendorum, saepe consilio assequendo eo magis obstare necesse est, cum partim multi decursu satis certo neque ad fines minores restringendo obligati sint, — ut febris nervosa, typhus contagiosus —, partim alii, etsi minus certum spatium perdurantes, tamen plerumque tempus quoddam, ut crisis accedat, requirant. Sic in febribus maxime inflammatoriis, etsi primis diebus quaecumque prosperum eventum certo adductura fortasse jam facta sunt, tamen raro ante diem septimum, nonnum vel undecimum, crisis existit.

Sicuti in morbis acutis tractandis in universum alios reperimus, qui activum artis auxilium postulant, alios, qui sola natura omnino certo tolli possunt, etiam crisis eorum stadium in specie distinctionem ejusmodi admittere videtur. Qualicumque enim re permoti temporibus quibusdam crisis adduci sola natura omnino negave-

sint, — non raro tamen major medicamentorum usus in causa fuisse videtur. Ubi enim illa normalem morbi decursum non adjuvant, ibi tamen aliqua ratione eum imputent, ergo non solum alia phaenomena in universum, sed insolitas quoque vel imperfectas crises efficiant, necesse est; cuius rei argumenta a viris qui cognoverunt vim naturae medicatricem adnotata invenimus, illique etiam saepius exempla afferunt, quanta incommoda procreata sint crisisbus incaute perturbatis. Postulat igitur crisis stadium quoque propriam et imprimis diligentem tractationem, ibique methodus expectans sub certis quibusdam conditionibus certissime et prosperrime sanationem afferre aequae saepe potest, ac tractatio medicamentis maxime agens. In his enim morbis acutis supra commemoratis, quibus sanandis sola natura, rebus externis faventibus, par est, plerumque etiam crises sine ullo artis auxilio existent; quod vero ubi non fit, jam minimum remedium auxilium ad eas adducendas sufficit. Experientia enim nos edocuit, fere omnes morbos acutos propriis evacuationibus saepissime solvi solere, qua ab norma ubi recedunt, hoc non raro ab aegroti constitutione vel aliis conditionibus repeti potest. Ubi vero jam a morbi initio artis auxilium opus est, ibi, illo apte praebito, plerumque spontanea crisis praeparatur et adducitur, naturaque jam rursus suscipit negotium, quod medicus adjuvare tantum, nunquam vi perficere potest. Si vero, quamvis omnibus prospere praeparatis, crisis ejusmodi non accedit, hic medico agendum erit, jam tractatione, quam eo usque adhibuit, fortius tantam continuanda, jam evacuationibus imperfecte

tantum eventibus adjuvandi; quamquam rebus se sic habentibus, saepissime omnia opera perita erit, quoniam vires vitales usque ad certum quendam gradum lapsae minime in morbi acme restitui possunt. Ad hanc igitur in crisi tractandis agendi rationem non solum opus est cognitione eorum, quae ad singulos morbos solvendo natura in universum praestare soleat, sed etiam diligenti consideratione omnium rerum id spectantium, ut dijudicare possimus, quidnam in ipso aegrotante, quem curemus, praestare possit, quo facto ejusmodi conamina non tam facile turbari posse videntur. Quodsi nihilominus tamen inveniuntur motus insoliti, qui utrum symptomata critica habendi sint, nec ne, nos dubitare jubeant, aegroti status ejusdem temporis rem apertam faciet, cum etiam rebus insolitis quidem, sed cum manifesta aegroti refectione conjunctis eventibus, medicus expectando agere possit.

Esi in morbis acutis plurima virium naturae medicamentorum documenta cernuntur, tandem in chronicis etiam organismum sola natura adjuvandi, credendum est, neque in illis desunt exempla, ubi sola natura perfectam conficit sanationem. Jam inde suspicari liceret, interdum medicamentorum usum ad eos sanandos esse supervacaneum, nisi objici posset, fortasse citius citiusque eos curari artis auxilio, quod quin saepissime vere fiat, non est dubitandum. Hoc igitur respectu ubinam in morbis chronicis agendum sit expectando, vix potest dijudicari. Sed si eorum originem respicimus, multos illorum reperimus paene sola vitiosa vivendi ratione exoriri, — quod potissimum de morbis apud homines quorundam ordinum saepissime ob-

viis, dicendum est, — ibique omnia remedium usus tandem palliativum modo auxilium affert, quamdiu illae res, vim nocentem continuo exercentes, amoveri nequeunt; cum contra illis rite sublati, quamvis nullis adhibitis medicamentis, non raro morbi illi perfecte sanari possint. Exemplo sunt scrophulae, scorbutus, etiamque chlorosis, nonnulli morbi sic dicti congestivi et morbi nervorum, nisi jam ad majorem gradum pervenerint; immo interdum tunc etiam diligens causarum occasionalium sublatio et dieta apte instituta plurimum semper ad eos sanandos conferunt. Quin interdum medicamentorum usus, vivendi more vim nocentem continuo exercente, morbi alicujus periculum multo augere potest. Notum est quam mali effectus mercurii usus hoc modo turbatus in syphilitide sit, — similiaque incommoda omnibus remediis provocari possunt, quae, aegrotante refrigeriis frequentibus obnoxio, cutis functiones valde augent. Tunc igitur methodo expectante utendum videtur, donec res accedant, quibus faventibus, curatione per medicamenta instituta, certius expectari possit eventus. Porro intractandis morbis chronicis non raro stadium occurrit, quo intermittendus est omnis remedium usum, utendumque methodo expectante; quod scilicet tum accidit, cum singula medicamina diutius praebenda sunt, et ex his ipsis, aegrotante ex vitio primario haud perspicue convalescente, nova phaenomena morbosa exoriuntur. Quod constat de omnibus remediis pharmaceuticis, quae facile digestionis organa inestant; eadem cautio in usu remedium narcoticorum, diutius continuando, propter eorum in sensorium effectum, est adhiben-

da. Etiam efficacitas quorundam remediorum post diuturnum usum, hoc aliquamdiu omissis, valde augeri potest, quo facto necesse non erit doses solito majores dari, quod praeterea saepe aegroti statu aus medicaminis conditione prohibetur.

Iam ex morborum decursu, singulisque stadiis contemplandis patet, methodum expectantem ambitu non ita parvo gaudere; qui tamen etiam amplificari videtur, si evolutionum processus, quibusdam vitae aetatibus proprios, respicimus.

Cum jam auctor clarissimus tanquam regulam generalem, magnique momenti proponat, in curandis infantum morbis n) saepius passivam agendi rationem esse observandam, supervacuum videtur hoc praeceptum copiose demonstrare, ac sufficere nonnulla tantum exempla afferre, ubi haec methodus maxime sit adhibenda.

Saepe numero jam statim post natum vita vix coepta in eo esse videtur, ut in statu asphyctico rursus extinguatur, ubi, etsi in vitio pertinacior magna perseverantia et medicamentis efficacibus medico agendum est, saepe sola rerum nocentium remotio, quae incipienti respirationi obstant, jam sufficit; — immo rebus se sic habentibus, fortasse fortiorum stimulorum usus ad statum vix sublatum reducendum conferret. Pariter omnibus constat, meconii excretionem non semper auxilium desiderare.

n) Ad. Henke: Handbuch der Kinderkrankheiten. Frankf. a. M., 1821.

Quamquam dentitio morbis non est adnumeranda, haec tamen infantiae periodus maximam medici diligentiam postulat, tum ne auctam dispositionem morbosam in morbos veros transire sinat, tum ne phaenomena quaedam insolita maximo damno suppressere conetur. Si utramque rem respicimus, saepe methodus solum expectans jam sufficit, ita ut duntaxat omnes res nocentes, hoc tempore multo facilius accedentes, detineantur. Ubi enim infantis constitutioni diaeta et cura accurate accomodatur, congestiones ad caput, hoc tempore obviae, non facile morbi veri speciem induent, et tum tantum, cum hoc factum est, illae tractationem postulant activam. Saepe vero jam natura has graviores congestiones diarrhoeis, salivatione et crusta lactea derivare conatur, quae morborum species criticae habendae sunt, quamdiu valetudinem non conspicue turbant. —

Cum pubertas in sexu masculino multo tardius et sub minus gravibus phaenomenis evolvi soleat, quam in feminis, hoc tempore rarius quoque morbi, cum illa vere conjuncti, observantur, Atamen nonnumquam morbo nervorum quam maxime subito exortos videntur, qui pubertate confecta rursus evanuerunt o); ubi igitur talis nexus omnino recte cognosci potest, medendi ratione magis expectante, quam agente utendum erit. Frequentius vero pectoris organa eodem tempore excolenda, pulmonum morbis nascendis ansam

o) Ad. Henke, über die Entwicklungen und Entwicklungskrankheiten, Pag. 170.

praebent, quo respectu magni momenti esse videtur observatio, eos epistaxi oborta saltem esse mitigatō. Suppresso contra hoc tempore hujusmodi sanguinis fluxu incommoda periculosissima exorta viderunt p).

Quamquam in sexu femineo primae menstruationis eruptionem plerumque valetudinis turbationes antecedere solent, quas molimina menstruationis appellaverunt: illae tamen, tantum si graviores sunt, activam medici tractationem desiderant, cum plerumque, mensibus revera obortis, rursus evanescere soleant, saepissime etiam apto regimine, hoc tempore observato, jam valde diminui vel praecaveri possint. Eodem modo in his affectionibus morbosis, quae menstruatio praecox, retardata, pauca, nimia, deficiens nominantur, methodo expectanti locus est, quamdiu ad modum, in quem corpus excultum est eodem tempore, ad constitutionem et virium conditionem sunt accommodatae. Itaque si post graves morbos menses sunt minimi vel omnino non exstant, aut si, toto corpore maturius sese evolvente, nonnullis annis prius, quam in aliis fieri solet, conspiciuntur; talis hujus functionis aberratio a norma generali, causa sufficiens existere nequit tractationis activae, qua vero saepissime, hac aberratione aliis causis procreata, est utendum. Morbosae denique nervorum systematis affectiones, dum pubertas evolvitur in sexu femi-

p) Ph. Rinel, Philosoph. Nosographie, übers. vom Ecker, Thl. I.

neo, frequentissime obviae, tam diversae indolis esse possunt, ut difficillime tantum regulae de earum tractatione, ubique ratae, proponi possint. Nonnullas tamen earum, rebus externis apte moderatis, naturae committi posse, extra dubium esse positum videtur q), quae fortasse ea sint, quae in puellis bona constitutione gaudentibus subito evolvuntur, aliis contra cum affectionibus morbosis, quae jam ante adfuerunt, conjunctis, tractationem magis activam postulantes.

Morborum, qui in gravidis exoriri solent, plethora, congestiones, vomituritio, vomitus, pica, malacia, diarrhoeae, obstructions, odontalgia, dolores in regione sacrali frequentissimi videntur. Singuli dispositione quadam corporis peculiari, vitiis in vivendi ratione et mora diuturniore, tantum adipisci possunt gradum, qui non modo aegrotae ipsi, sed etiam foetui periculosus fiat, ergo curationem activam desideret. Quamdiu tamen haec incommoda rariora, leniora et praecipue graviditatis initio apparent, plerumque ad ea tollenda diaeta et regimen accurate institutum jam sufficit, quod eo magis optandum est, cum frequentem medicamentorum usum foetui excolendo nocere, necesse sit. Praeterea experientia docet, nonnulla horum incommodorum cum graviditate tam arcte cohaerere, ut demum, — quamvis curatione quavis artificiosa adhibita — partu omnino tollantur. —

q) C. G. Carus, Lehrbuch der Gynäkologie. Leips. 1826, Thl. I, pag. 216.

Quanta est aberrationum copia, quibus partus normalis expositus est, quarumque multae cistissimum et efficacissimum artis auxilium requirunt! — multae tamen ostendi possunt, quae, remotis causis occasionalibus externis, omnino prospere natura tolluntur. Quantum hac ratione regimen aptum, (praecipue quod ad elaborandos parturientis dolores aminet) et situs accommodatus inter parturiendum valeant, magis notum est, quam ut majoribus documentis egeat. Etiam si artis auxilio in partus decursu aliquando opus fuerit, interdum tamen perfecta partus absolutio rursus naturae committi potest, quod ad normalem puerperii decursum maximi est momenti. Quem ceterum curationem artificiosam non desiderare, per se intelligitur, etsi recens accedentium functionum turbationes non raro medici auxilium postulent.

Diversarum affectionum morbosarum, quae mensibus cessantibus, praecipue in systemate vasorum et nervorum oriri solent, nonnullae secundum accuratas observationes, (*) regimine apto, jam ante hanc periodum incepto, non solum certissime praecaveri, sed etiam exortae sanari posse videntur. Hoc imprimis dicendum est de affectionibus hystericis, congestionibus, digestionis perturbationibus, nisi jam antea vitia illa existebant. Eodem modo menstruatio solito diutius perdurans expectando tractari potest, ubi diæta maxime nutriente, vivendi ratione inerte exoritur, ergo salubris habenda est.

In metastaso senili denique, si nondum cum veris morbis complicitus est, medicamentorum usui locus esse nequit, quae naturalem hunc transitum vitae in mortem omnino non possint prohibere, — sed cura diligens et diæta ad eum tolerabilem reddendum multum conferre debent. —

Si porro consideramus nonnullorum morborum rationem inter se, quorum duo vel plures eodem tempore in eodem aegrotto occurrunt, invenimus, alios eorum quidem periculum manifeste augere, si hominem jam aegrotum corripiant, — alios vero morbum priorem mitigare, quin etiam tollere posse, jure igitur morbos appellari salubres. Ut itaque de morbis ejusmodi sermo esse possit, semper necesse est, aliud periculosius vitium jam adesse, aut saltem dispositionem ad illud; neque enim in homine omnino sano ullus morbus subter haberi potest, nisi quis variolas vaccinas hoc nomine dignas judicet, quatenus periculosiores variolas genuinas praecaveant. Saepenumero morbi illi salubres vitii jam exstantis symptomata activa tantum esse videntur; saepe vero etiam omnino non ab aliis pendentes, fortasse casu exortae morborum species sunt, quae tantum ad certum quoddam exemplum relatae, secundae nominari possint; semper tamen in curandis ejusmodi aegrotis maximam attentionem flagitant. Quoniam enim nonnulli ex iis generaliter remedium videntur esse efficacissimum, ars eorum partes suscipere omnino nequeat, quae tum plerumque cessare, aut tantum illos coercere debet, si nimii fiant, aut augere, si non sufficere videantur. — quod imprimis de activo fluxu haemorrhoidalî dicendum est; aut cum semper saltem

*) Carus, l. c., Pinel, l. c.

subsidia magni momenti ducantur oporteat, tum demum tollenda, cum morbus ille, ad quem curandum conferentes visi sunt, jam evanescere inceperit. Semper igitur a propria aegroti conditione pendet, num symptomata quaedam salubria credenda sint, — neque ullus morbus exstat, qui omnino, qualicunque modo res se habeat, saluber dicendus sit; attamen cum aliqui inveniuntur, quos prosperam vim ad alios morbos habere saepissime observamus, ii ergo sub conditionibus quibusdam adhibendae methodo exspectanti aenam praebent. —

Quam saepe morbi febriles vim quandam salubrem in pertinacia vitia, chronica exercent, multae observationes docent^{s)}; qua ratione dictum illud vetus: „qui febre uti nescit, mederi ignorat,“ profecto aliquantum veri contineat. Attamen morborum febrilium nonnulli tam periculosi sunt, ut, etiamsi aliis vitiis tollendis prodesse possint, tamen non relinquendi sint naturae; quare febris inflammatoria simplex modo et intermittens benigna in quibusdam complicationibus salubres habendae sint, utendumque idcirco in iis methodo exspectante. Febris intermittens imprimis etiam contra stagnationes in visceribus abdominalibus, multaque vitia inde exoriunda, vim salubrem ostendit; sed cum, sub conditionibus quibusdam, eosdem morbos procreare possit, multo sane opus est acumine et experientia, ut

ea exempla accuratius statuuntur, quae tanquam critica naturae conamina, curationem artificiosam non postulent.

Inflammationum praecipue externae, eaeque quidem organorum minoris momenti, interdum ac potissimum in morbis acutis, salubres apparent. Huc pertinent furunculi, parotitis, inflammationes glandularum inguinalium, phlegmonodes, quae in abscessus criticos abeunt; interdum etiam erysipelas in morbis chronicis, praecipue in stagnationibus venosis abdominalibus, salubre existit. Illae plerumque in crisis stadio apparent, et tum tantum naturae committendae sunt, cum in antecedentis morbi decursu re vera salubriter agunt, neque novum gignunt periculum.

Sicuti in plerisque morbis acutis aucta cutis functio plerumque cum prospero eorum exitu oriri solet, etiam diversi chronici morbi in alia vitia pertinacia salubrem vim exercentes hoc organum sedem sibi eligunt. Observati v. c. sunt sudores locales et universales, quibus nullis perturbationibus perspicuis in valetudine exortis, alii morbi sanabantur; quin etiam, ubi nullum aliud vitium sequebantur, periculosum erat eos suppressere¹⁾, ac ne cauta quidem tractatio quidquam boni effecit, quare ejusmodi sudores saepius modo methodum exspectantem permittere videntur. Ex caeteris morbis cutaneis praecipue scabiem et herpes, quin etiam interdum ulcera iis provoca-

^{s)} Mezler, über die Vortheile des Fiebers in langwierigen Krankheiten, Ulm 1790.

¹⁾ G. F. C. Greiner, der Arzt im Menschen etc., Bd. I, Altenb. 1827, Pag. 378.

ta, remedia naturae esse contra alios morbos, est observatum. Simili modo tinea capitis in morbo oculorum chronicos agit, quos contra incauta illius sanatione exorientes viderunt.

Praeterquam quod vomitus et diarrhoeae saepius critica symptomata in morbis acutis existunt, interdum quoque ad vitia chronica tollenda salubres fiunt, potissimum posteriores, si ad hydropes accedunt; caeterum eorum sanatio etiam periculum adducere potest, ubi jam habituales evaserunt u). Quam frequenter quaedam haemorrhagiae morbis salutaribus adnumerandae sint, saepius est commemoratum.

Haec exempla ad ambitum methodi expectantis etiam respectu salubrium morborum saltem adumbrandum sufficient; — nam perfecta eorum enumeratio eo minus expectari potest, cum, ut jam supra dictum est, prorsus nullam absolutam morborum classem constituent, sed tantum si cum aliis morbis eodem tempore apparent, et propter vim suam in aegrotum ipsum, salubres jure possint appellari.

Si difficultates denique respicimus, quae medico, quod ad morbos dignoscendos attinet, se opponunt, quo minus certo eos possit curare, iis etiam non raro sufficiens causa ad utendum methodo expectante constitui videtur. Nam etiamsi ponamus, medico nec accuratam pathologiae cognitionem nec experientiam maturam deesse, tamen

ex virorum clarissimorum judicio v) feri interdum potest, ut morbus aliquis, saltem aliquamdiu, certo dignosci prorsus nequeat. Jam impedimenta interdum obvia, quo minus justam morbi decursus, morae et causarum occasionalium cognitionem assequamur, hoc indicare videntur, quo saepe accedit symptomatum confusio praecipue initio morborum acutorum et quod aegrotus ipse sufficientia de statu suo referre nequit. Itaque rebus se sic habentibus, secundum virorum illorum consilium, multo tutius videtur nullam adhibere medendi rationem activam, donec, investigationibus repetitis, morbus rectius dignotus apte curari possit. Quantopere hic praeproperus medicamentorum efficacium usus nocere possit, vix erit demonstrandum; et in iis etiam exemplis, ubi haec noxa non semper satis liqueat, ejusmodi agendi ratio nequeat admitti, nisi propter majus vitae periculum nobis sit concessum, ut etiam anticipiti auxilio aegrotum servare tentemus. Caeterum hac ratione, si quem deficiat doctrina aut usus in arte exercenda, huic multo saepius methodum expectantem fore adhibendam, ex iis, quae diximus, patere videtur, quamvis haec ratio revera non semper, fortasse raro tantum existet. —

Ex omnibus, quae hactenus consideravimus, methodi expectantis ambitus per se liquere mihi videtur, quamquam omnino mihi persuasum est,

u) D. Raymod: *Traité des maladies, qu'il est dangereux de guérir.* Paris 1816.

v) Reil: *Fieberlehre* Bd. I. §. 183.
I. N. Reimann, *Anweisung zur Ausübung der Heilkunst,* Wien 1821.

me doctiores expertioresque illam etiam latius posse extendere. Neque hujus methodi utilitatem copiosius exponendam esse putaverim, cum illam ubique apparere oportet, ubi sufficientes causae ad hanc agendi rationem ineundam impulerint; neque si res contrario modo se habeant, damnum ejus abusu procreatum deesse possit.

Si tironi jam difficile esse oportet methodi expectantis ambitum plane perfectum statuere, etiam difficilius erit, ejus fines constitutere. Hi fines esse debent, ubi naturae vires ad morbos sanandos non sufficiunt, aut sanatio hac via saltem incertius existit. Conamur igitur hic tantum nonnulla de casibus maxime generalibus huc pertinentibus, submonere. Refrenda huc putaverim:

- 1) Graviorum inflammationes locales, aut etiam leviores, si metuendum est, ne chronicae fiant.
- 2) Febres inflammatoriae gravioris indolis, quoniam iis aut majoris momenti organorum functiones nimium turbantur, aut quoniam timendum est, ne inflammatio localis exoritur.
- 3) Ubique vires magis prostratae sunt, quod in febris nervosa potissimum occurrit.
- 4) Febres putridae vel primariae, vel ubi aliae febres putridam induunt indolem.
- 5) Morborum symptomata, quae sanationem impediunt, ut: dolores vehementes, spasmodorum paroxysmi, insomnia, deliria ferocia; humorum accumulatio in organis, quorum functio eo continuo irritatur impediturve, secreta depravata, tam ad quantitatem, quam ad qualitatem v. c. effusio pituitae, bilis; directio secretionum vitiosa v. c. alius auctis, aliarum suppressio.
- 6) Denique organicae quaedam morborum causae. —

Cap. IV.

Methodi expectantis indicationes.

Tanquam indicatio hujus methodi maxime generalis afferri posset, ea ubique esse utendum, ubi sola natura ad morbos sanandos jam sufficiat, nisi etiam nonnullae aliae rationes ejus usum redderent necessarium. Dum igitur hoc loco singulas indicationes generales proponere conabor, tamen, ne, quae jam dixi, repetam, conditiones, sub quibus singulatim valeant, copiosius exponendas esse non puto, cum illae maxima ex parte jam allatae sunt in ambitu definitione, quae sequentibus conferenda erit.

1. Primo ergo methodus expectans indicata est, ubi manifestae causae occasionales morbum provocaverunt, vel aluerunt, quod potissimum de multis affectionibus nervorum, spasmiis, doloribus, animi deliquiis et nonnullis statibus asphycticis valet, quibus causis remotis sperari potest, cito sanationem sua sponte esse oriundam, nisi symptomata adhuc relicta activam curationem symptomaticam flagitent.

2. Porro in omnibus phaenomenis pathologicis inter normales evolutionum processus obveneribus, quamdiu non transierunt in morbos veros vel cum iis conjuncta apparent,

quod supra, ubi de singulis evolutionum periodicis locuti sumus, accuratius expositum est.

3. In omnibus morbis, qui salubres ducendi sunt, quamdiu hoc nomen, aegrotorum singulorum respectu, jure obtinent; nam illi quoque, ut jam diximus, sub singulis conditionibus periculosi fieri possunt, quo facto activam postulant tractationem.

4. In nonnullis morbis acutis, quamdiu eos febris inflammatoria mitioris indolis comitatur. Huc pertinent omnia exanthemata acuta, nonnullae inflammationes leviores, illique morbi cum inflammatione conjuncti, qui tantum transitu in suppurationem prorsus sanari possunt, quo potissimum furunculi benigni et vulnura cum jactura substantiae referenda sunt. Idem valet de levioribus perturbationibus secretionum et excretionum, ut praecipuis morborum symptomatibus, et de viribus vitalibus minori gradu prostratis. Ad disjudicanda ejusmodi exempla imprimis respiciendum erit: a) ad symptomatum gradum, b) ad typum. Methodus enim expectans eo magis adhiberi poterit, quo minus ingravescant symptomata, quo magis eodem gradu leni manent aut etiam deminuantur, denique quo diutius et perfectius remissiones et intermissiones apparent. c) Ad moram perturbationum morbosarum. Quo diutius perdurant, eo facilius credendum est, eas esse aliquantum indolis refractariae, unde causas adeae suspicari licet, quae jam altiores radices egerint et vix sua sponte sint cessurae.

5. Ubiunque remediis adhibitis naturae efficitur satenus informata est, ut ei soli rursus

sine periculo sanatio continuanda aut plane perficienda tradi possit, quod praecipue de multis inflammationibus valet, in quibus scilicet jam quantum satis, apta tractatione antiphlogistica usus est medicus; porro de nonnullis febribus gastricis. Hic in judicando eadem respicienda erunt, quae modo (No. 4) attulimus. Methodus expectans in his morbis eo magis est usurpanda, cum paucissimi morbi paullo graviores, si ars in eos egerit, subito evanescent, sed aliquod tempus usque ad solutionem remorentur.

6. In morbis qui ad decurrendum certum tempus requirunt, quod multo brevius reddi nequit, ut in contagiosis nonnullis, febribus nervosis, caet; nisi forte symptomata morbosa tantum gradum adepta sint, aut tam celeriter ingravescant, ut naturam jamjam superatura sint. Methodus activa, incaute adhibita in his morbis facile etiam sequentium stadiorum decursum turbare potest, aut praepropera medendi ratio activa exhaust facultatem remediorum recipiendorum, quibus fortasse in morbi vigore multo magis opus est.

7. Ubi certam morbi diagnosis consequi non possumus; sed respiciendae sunt exceptiones et conditiones supra allatae.

8. Ubi remediorum usu, ad perficiendam sanationem diu continuando, morbus medicamine ipso provocatur, priusquam curatio finita haberi poterit; nisi morbus recens exortus tractationem activam desideret. Plerumque enim symptomata, medicamentorum usu procreata, mox sua sponte evanescent (nisi verum adsit veneficium), quo facto post methodum expectantem interpositam,

medicamina denuo adhiberi possunt. Hoc potissimum valet de medicamentis, quae vocantur specifica et de nonnullis narcoticis.

9. Ubicumque denique res externae vim ad aegrotum habentes ita moderari nequeunt, ut sanationem adjuvent, sed remediis usurpatis nocentiores sunt, quippe quibus corpus ad earum vim exercendam accommodatius fiat; status morbosus ergo medicamentorum usu non deminuretur, sed etiam majus periculum adduceretur.

Cap. V.

Contraindicationes.

Contraindicatio maxime generalis fere erit, methodum expectantem esse vitandam, ubicumque morbus certo dignoscitur sit et secundum observationes factas soli naturae tollendus committi nequeat. Casus vero, qui generatim activum artis auxilium requirunt, hi fere erunt:

1) Ubicumque sola natura omnino non, aut saltem quam maxime dubie, potest sanare morbum, quod v. c. de inflammationibus gravioribus, quin etiam de levioribus sed pertinacibus inflammationariis affectionibus est dicendum. Porro huc pertinent: major virium prostratio, status putridus, gravia vel refractaria vitia in secretionibus et ex-

cretionibus, morborum symptomata quoque, si vi nociva in morbum agunt. Etiam hic plerumque ad symptomatum gradum, typum et moram respiciendum erit, ut de singulis exemplis judicari possit.

2. Ubicumque natura morbum quidem potest sanare, sed hoc parum certo tantum et cum temporis viriumque jactura licet expectari; quod in singulis aegrotis diligenter perpendi debet et tam de acutis quam de chronicis morbis valet; simul etiam conditiones modo allatae (No. 1), sed minori gradu, locum habebunt.

3. Saepe proprio respectu aetatis, constitutionis, vel dispositionis morbosae, quae adest, remedium usum etiam ibi necessarius fit, ubi sub rationibus contrariis plerumque in methodo expectante uiendum est. Huc fere, praecipue quod ad morbosam dispositionem attinet, multa vitia organica, internae deformationes, suppurationes caet. referendae erunt.

4. Fortasse denique tum etiam medicaminum usus permitti poterit, cum aegrotus tantum eo cogi possit ad accuratam diaetae praescriptae observationem, jam per se ad sanitatem restituendam sufficientis; quo casu remedia eligenda erunt minime efficacitiae et statui morbosae, qui adest, quam maxime possunt, accommodata.

Cum caeterum quaevis recta indicatio ad curam therapeuticam adhibendam contraindicatio

quoque methodi expectantis haberi queat, nobis hic non locus esse videtur accuratiori eorum enumerationi, praesertim cum temporibus coacti in hoc manco opusculo tantummodo monita magis generalia proferre, quam rem penitus exquirere possimus.

Cap. VI.

Methodi expectantis adhibendae ratio.

Fortasse supervacaneum appareat, aliquid proferre de exercenda methodo, quae eo tantum, quod medicus nihil agat, consistere videatur. Cum tamen in definitione dixerimus eam, nisi omnibus rebus nocentibus demotis, adhiberi omnino non posse, nonnulla de agendi ratione hoc respectu observanda nobis videntur monenda.

Res nocentes vero, quae in aegrotum agere possunt, partim eae sunt, quae ad morbum gignendum necessario contulerunt, ergo causae occasionales vocantur; partim aliae, quae morbo exculso accedunt. Quamdiu illae permanent, vel redeunt, saepe etiam ex artificiosa curatione certum auxilium sperari nequit, quare earum remotione semper primo opus est, idque eo magis ibi, ubi caeterum naturae morbum sanandam

commisuri sumus. Saepe quidem natura ipsa causas illas demovere conatur, quod conamen, si sine temporis viriumque jactura prospere progreditur, etiam statim expectatione uti nos sinit; sin vero sine effectu est, artis auxilium adhibendum, non tamen ut naturae efficaciam quoad modum et gradum moderet, sed ut eam rebus ipsius actionem impredientibus, liberet.

Quidquid igitur, si ad remotionem causarum occasionalium respicimus, in morbis tractandis generatim valet, etiam de methodo expectante dici potest. Illud tantum discrimen exstat, quod in tractatione activa maxima ex parte illa modo praeparatio ad alia artis remedia adhibenda habetur, in methodo vero expectante nullum aliud artis auxilium sequitur. Cum caeterum causae occasionales interdum vel aliquamdiu tantum vim exercent, ergo eorum sublatio non opus sit, vel omnino demoveri nequeant, ut contagia: fieri potest, ut etiam causis occasionalibus non ante respectis, methodo expectante sit utendum.

In caeteras res nocentes non solum omnes referendae sunt, quae in aetiologia generali ut morborum causae afferuntur, sed imprimis eae etiam, quae in certo quodam aegroto naturae conamina medendi turbare possint. Itaque si hae quoque removendae sunt, res contra ejusmodi tantum permitti poterunt, quae (exceptis remediis pharmaceuticis et chirurgicis) secundam vim in statum praesentem exercere possunt, quare dieteticae curatoria pars methodi expectantis erit necessaria. Hac igitur potissimum pertinebit aeris cingentis

temperaturae, lectuli, tegumentorum; vicissitudinis inter quietem et motuonem, inter somnum et vigiliis et imprimis etiam ciborum potuumque justa accommodatio. Accuratius vero exponere, quomodo in certo quodam aegroto, unaquaque harum rerum apte utendum sit, diatetices erit. Caeterum si quis methodum expectantem latiori significatione accipere velit, illa ejusmodi remedium praescriptionem amplectatur, quae fortasse leve auxilium viribus naturae medicatricibus praebent, sed majores mutationes in virium vitalium statu aut functionum directione provocare nequeant, quo fere referenda erunt remedia mucilaginoso, tenuia infusa ipecacuan, modicae doses mitiorum salium in morbis inflammatoriis et secretionis organorum.